

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICA

SISTENS

COLICAM

METALLICAM AC VEGETABILEM,

IN SPECIE VERO

SATURNINAM,

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

MAGNIFICI DOMINI PRAESIDIS ET
DIRECTORIS, SPECTABILIS AC
PERILLUSTRIS DOMINI DECANI,
NEC NON CLARISSIMORUM DOMI-
NORUM PROFESSORUM,

PRO GRADU DOCTORIS MEDICINAE

RITE OBTINENDO

IN REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE HUNGARICA

DISQUISITIONI PUBLICAE SUBMITTIT

LUDOVICUS PRACHER,

AUSTR. NAELGENSIS.

ARTIS OBSTETRICIAE MAGISTER.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universi-
tatis minore die Decembris 1835.

B U D A E ,

TYPIS TYPOGR. REG. SCIENT. UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

MAGNIFICO AC SPECTABILI

DOMINO

IGNATIO A STAHLY,

S. C. REGIAE MAJESTATIS CONSILIARIO AA. LL.

ET PHILOSOPHIAE, MEDICINAE AC CHIRUR-

GIAE DOCTORI, CHIRURGIAE PRACTICAE AC

DOCTRINAE DE OPERATIONIBUS PROFESSO-

RI P. O. TT. COMITAT. ALBENSIS, KRASSO-

VIENSIS, NEOGRADIENSIS ET TOLNENSIS

TABULAE JUDICIARIAE ASSESSORI; FACUL-

TATIS PHILOS. AC MEDIC. MEMBRO; ANATO-

MIAE ELEMENTARIS PROFESSORI ATQUE

REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUN-

GARICAE RECTORI MAGNIFICO EMERITO

VIRO
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA,
HUMANITATE AEQUE INSIGNI,
MODERATORI SUO
DIGNISSIMO, CLEMENTISSIMO,
FAUTORIQUE
OPTUMO ET BENEVOLENTISSIMO,
TANQUAM
ANIMI GRATIOSISSIMI, DEVOTIQUE CULTUS
MONUMENTUM
PIA CUM VENERATIONE HASCE PAGELLAS
DEDICAT ET SACRAT

DEVICTISSIMUS

Auctor,

Sit mihi fas, audita loqui.



INTRODUCTIO.

COLICAE DEFINITIO

§. 1.

Colica (lat. dolor colicus, colica passio, colicodynia, intestinorum dolor, enteralgia; german. Kolik, Leibschneiden, Bauchgrimmen, Bauchweh, Darm Schmerz, Darmgicht; gal. Colique; angl. Colic, Belly ache) a vocabulo graeco κολικη νόσος nomen suum derivans, stricte tantum morbum denotare deberet, qui intestinum *colon* infestat. Plurimi vero medici colicae nomine spasmum cujuslibet partis canalis intestinalis, doloribus scindentibus, torquentibus, contrahentibus, modo remittentibus, modo continuis, plerumque vagis, subinde fixis, se manifestantem, apyretum, saepissime qua symptoma morborum aliorum incedentem, subintelligunt; ideo rectius post cel. Swediauer *Enteralgia* denominaretur.

§. 2.

Sicuti non pauci alii morbi seu sedis, seu causarum, seu potentiarum nocentium respectu variam patiuntur divisionem, etiam colica tali relatione in varias dispertitur species, nempe in:

1. *Colicam biliosam*, cujus prodroma jam affectionem biliosam indicant;
2. *Colicam convulsivam* ob abnormem sensibilitatem ortam;
3. *Colicam flatulentam* a gase in tubo intestinali accumu-

lato, cujus praecipua symptomata sunt spasmi, quapropter spasmodica quoque dicta.

4. *Colicam gravidarum* per graviditatem productam;
5. *Colicam haemorrhoidalem*, vel fluxum haemorrhoidalem praecedentem, vel suppressione ejus inductam;
6. *Colicam hepaticam*, per hepatitidem in indurationem transmutatam, aut calculos biliosos, aut per hepatis exulcerationem inductam;
7. *Colicam inflammatoriam* cum intestinorum inflammatione connexam;
8. *Colicam lochiale* a turbato vel suppresso lochiorum fluxu exortam, vel comitatur eum;
9. *Colicam menstrualem* ob turbatam vel suppressam menstruationem, vel eam praecedit, vel comitatur;
10. *Colicam metastaticam* ob morbum aliquem subito evanidum vel suppressum e. gr. arthritidem retrogradam, vel menstruationis vel haemorrhoidum fluxum suppressum, ulcera subito sanata, exanthemata repente evanida etc.;
11. *Colicam nephriticam seu renalem* per calculos sive in renibus, sive in ureteribus provocatam;
12. *Colicam nervosam* ut jam sub Nro 2. diximus;
13. *Colicam physconiosam, herniosam*, a causis localibus, organicis ortam, e. gr. a deglutitis ossiculis, nucleis, a scirrhotatibus, tumoribus, indurationibus organorum abdominalium (colica physconiosa), porro ab intestinis concretis, volvulo, eorum callositatibus, laceratione intestini alicujus, ab hernia incarcerata (colica herniosa);
14. *Colicam pituitosam* a pituitae accumulatione;
15. *Colicam stercoraceam sive saburralem, s. a sordibus*, a faecibus vel saburra in intestinis vel ventriculo accumulatis;
16. *Colicam sanguineam* a congestione sanguinis in immo ventre orta; accedit inflammatoriae;
17. *Colicam uterinam* apud hystericas;

18. *Colicam ventriculi* affectiones spasticae ventriculi;
19. *Colicam verminosam* a vermibus excitatam, dolore te-
rebrante in regione umbilicali insignitam;
20. *Colicam metallicam* per intoxicationem metallicam or-
tam, cujus species sunt: a) *Saturnina*, b) *Pictorum*,
c) *Cuprina*.
21. *Colicam vegetabilem* ab usu immodico fructuum et vi-
norum acerborum, acidulorum, ac austerorum, vel a
vinis lithargyro contaminatis, vel etiam ab influxu aëris
humidi ac frigidi etc.; cujus species sunt: a) *Colica de*
Poitou s. Pictorum; b) *Colica de Devonshire s. Damno-*
niorum; et c) *Colica de Madrid*.

Et hae ultimae duae sub Nro 20 et 21 adductae colicae
species sunt, quae describere, et, quantum licet, accuratius
perlustrare meum erit conamen.



I.

COLICA METALLICA.

§. 3.

Colica metallica, *morbus metallicus*, *molybdates*, germ. metallische Kolik, Bergsucht, Hüttenfäße; engl. *Painter's*, *Plumbers'*, *colic*; vocatur morbus, provocatus per effectus nocivos nonnullorum metallorum in organismum, praecipue autem *plumbi* et *cupri*, quapropter, si morbus intoxicationem per plumbum sequitur, vocatur: *Colica saturnina*, *colicoplegia*, Bleifolik, gal. *colique des peintres*. Tali intoxicationis modo adliciuntur praecipue pictores, figuli, fusores plumbarii, cerussae et vasorum stanneorum opifices, etc. et tum colica Saturnina vocatur quoque colica pictorum, figulorum, Mahler's Töpfer-Kolik. Si vero fuit intoxicationis causa *cuprum*, colica producta denominatur *colica cuprina*, Kupferfolik, quae nonnunquam cum cupro laborantes infestat.

Symptomata vero harum colicae metallica specierum parum vel plane non differunt inter se, propterea a plurimis tantum sub colicae saturninae nomine pertractantur, eandemque fere semper exposcunt therapiam.

Ab auctoribus diversis morbus hic vario modo denominabatur; e.g. Frenelius et Hallerus eodem fere tempore nomine *febris tertianae* descripserunt; Paulus Aegineta vocat *colicam pestiferam*; biliosam vero Milo, Catagnosius, Sennertus, Riverus aliique nuncupave-

runt; Cel. Stollium audimus dicere: hunc morbum fere semper incedere *symptomatibus biliosis*; Piso nominat *colicam serosam*; Baglivius *convulsivam*. Nos vero appellamus *saturninam, molybditen*, tali nomine simul cum forma morbi causam quoque producentem designantes.

§. 4.

Quamquam plures adfirmant colicam sic dictam saturninam temporibus antiquissimis medicis fuisse ignotam, tamen jam pater medicinae Hippocrates a) colicae et quidem in specie Saturninae mentionem facere videtur, cum de doloribus circa umbilicum (*αλγημα περι ομφαλον*) loquitur: „*Qui circa fodinas versabatur (ὁ ἐκ μεταλλων) praecordia contenta habet, lien magnus erat et alvus distenta, aliquantum indurata, inflatus fuit decolor.*“ Certitudo vero nulla habetur nam sententia haec varias admittit interpretationes etsi alii hoc defendunt. Post hunc Aretaeus Cappadox nullam hujus morbi facit mentionem, Nicander autem in suis alexipharmacis symptomata describit, quae Lithargyrium provocare valet; de colica tali loquitur et paralysis exinde provenire dicit. b)

Dolores vero colicos Cassius omni cum solertia primus descripsit, et remedium suum *colicum* nominat. c) Paulus Aegineta, qui saeculo 7-mo floruit, colicam saturninam in specie iisdem depinxit symptomatibus, quibus hodiernis temporibus observatur, et vocavit *colicam pestiferam*. d) Avicenna praecipuus Arabum medicus, saeculo 12-do colicam saturninam sequentibus descripsit verbis: „*Et colicu haec*

a) Lib. 6. Epidemiarum art. 20. Foesii.

b) A. C. Celsus de Medicina lib. 4. cap. 13.

c) De re medica lib. 3. cap. 18.

d) De re medica.

quidem multoties permutatur ad paralyzin, et sanatur per eam et quandoque sanantur per dolores juncturarum, fit fortis punctio et quasi perforetur venter ejus terebello, aut quasi sit absconsa in intestinis ejus arcus; fortis sitis et non satiatur habens eam, licet bibat plurimum, de ventre egrediuntur scybalae, sicut stercora caprarum etc.“ e)

E germanis Stockhausen primus fuit, qui veram colicae hujus causam *plumbum* esse intellexit. f)

Intervallum non exiguum penitus vacuum exstat, quin de hoc dolore aliqua facta fuisset mentio, usque dum majori hoc malo laborantium numero medici de existentia hujus serius cogitaverint, ac symptomatum atrociam attenti redderentur. Incepit dein Laurentius Henrici IV. Gallorum regis archiater, quem Sennertus Helmontius, Riverius, Wilisius, Hoffmannus, Thomas Sydenham, ejusque discipulus Boerhave sequuti sunt, observationes suas circa hunc gravissimum ac rebellem morbum contulere. Recentioribus vero nostris temporibus hanc materiam multi celebres in arte viri pertractavere, praecipui autem fuerunt cel. de Haënius, Tronchinus, Van Swieten, Huxhamius, Grasshuisius, Starkius, Stollus, Quarinus, Lentinus, Frankius, etc.

§. 5.

Quum colicae metallicae specierum frequentissima est *saturnina*, reliquarum vero symptomata, symptomatibus hujus sunt simillima, hujus symptomata fusius exponam, simul adducens discrimina unius speciei a reliquis.

e) Avicenna lib. 3. fen. 16. tractat.

f) Stockhausen Sam. de lithargyrii fumo noxio morbifico, ejusque metallico morbo vulgo dicto Bergsucht, Süttenlaße, etc. Goslar 1656

Sed non in omni individuo symptomata deprehenduntur eadem, variant enim, respectu quantitatis plumbi vel alterius metalli eodem tempore, vel successive in organismum ingesti. Quantitas illius minima una alterave vice sumpta, vix effectus producet conspicuos; diutius vero, quamvis minima quantitate, usu ejus protracto, effectus suos noxios sensim sensinique exserit.

Oritur dispepsia sensim increscens, varia digestionis vitia, alvi adstrictio, siccitas cutis orisque, sitis magna; his accedunt dolores ventriculi prementes, porro dolores per longitudinem spinae decurrentes, mox et extremitates occupantes, facies incipit pallescere, flavescit, livescit, corpus de die in diem magis emaciatur, neque statim ab initio therapia rationali morbi vi infracta, symptomatibus jam praesentibus, intensitate semper increscentibus, novisque dirissimis, mox exponendis, accedentibus, infelix per septimanas imo plures menses crudelissime excruciat, donec tandem lenti passu, *tabe metallica* perfecte evoluta, orci faucibus traditur.

§. 6.

Longe aliter vero symptomata in conspectum veniunt, et habita naturae, et evolutionis, et intensitatis ratione, dum morbus vel lente evolutus ad altiore[m] vehementiae gradum est eVectus, vel dum plumbum, vel aliud metallum intoxicans, majori quantitate fuit ingestum. Tunc illico vel saltem cito vehementissima signa pathognomonica observatori semet patefaciunt; dolores enim in regione umbilicali continui, per vices remittentes, sed non amplius intermittentes, saepe tanta vehementia saeviunt, ut aeger contorqueatur, ejulet, somnus eum fugit, vel adest valde turbatus, sub quo saepe terrore concussus, lecto tremens, prosilit, quasi instans periculum effugere vellet. Accedit anxietas summa et inquietudo; situm suum aeger saepius mutat, modo trans-

verse super lectum jacet, modo abdomini incumbit; plurimi manibus abdomen obtegunt, frictionesque faciunt, quibus dolor vel mitigatur vel modificatur. Subinde dolores hi non sunt superficiales attactu, nisi rudior et ad minorem plagam est restrictus, non exasperantur, nec calor, nec rubor externus adsunt. Observantur quoque remissiones ac exacerbationes horum dolorum; sentiuntur durantibus paroxysmis lacerantes, terebrantes, remissionis vero tempore tantum in dolorifica constrictione consistunt.

Abdomen sub his saepe inaequaliter est tensum, ita ut sub attactu durum rigidumque percipiatur; frequentius vero reperitur violenter retractum, cum umbilico abdomini quasi immerso, ita ut fere corporibus vertebrarum adfixus videatur, abdomine fossam formante. Alvus adeo pertinaciter est obstipa, enematis vix aperienda; faeces, si forte artis vel naturae auxilio quaenam evacuantur, sunt paucae, durae, griscentes, scybalosae, formam faecum caprinarum referentes, quo symptomate characteristico differt colica *saturina* a *cuprina*, qua praesente alvus plerumque est diarrhoica cruenta. Anus invenitur introtractus, intestinumque rectum adeo constrictum, ac si fune esset compressum, quapropter clysmata difficulter applicanda, aut jam applicata iterum exploduntur. Non raro adest flatulentia molesta, flatusque difficultas emittendi, tenesmus dolorificus, cruentus, mucosus.

Urinae excretio ut plurimum est abnormis: laborant enim nonnulli dysuria, ischuria, imo et stranguria, urinas mittendi conatu inani, et si emittuntur crystallinae sunt, frequentius turbulenta: mox copiosae, mox iterum parciales. Interdum penis retrahitur, sub mictu ipso lotium nonnunquam intercipitur. Scrotum alternatim est corrugatum, mox iterum est relaxatum, tenduntur testes, ac ad abdomen sursum versus trahuntur.

Symptomatibus his se associant *anorexia*, sapor oris dulcescens, nauseosus, ructus et vomituritiones, saepe inanes, subinde et vomitus ipse non raro frequentior, quo materia viridis, amara, aeruginosa ejicitur: levamen conspicuum, ast solum momentaneum, adducens; subinde vero liquidum vomitu ejectum est mucosum, viscidum; subinde acidum redolens.

Adest simul *appetitus* prostratus, sitis intensa, a nimia linguae, cavi oris ac faucium siccitate proveniens. Lingua est saepe praerubra, spurca, ut plurimum una cum dentibus muco tenaci, bruneo, vel griseo obducta.

Saepe ab aegro sentitur dolor ardens in oesophago, a spasmō subinde ita coarctato, ut vix liquidi quidquam deglutire valeat, ut testatur cel. Zinken. Observantur quoque in casibus gravioribus respirationis turbæ, ut: pectoris oppressio, totaque *respirationis* functio, ob spasmos et convulsiones in diaphragmate et musculis abdominalibus saevientes, difficultate, anxietateque magna absolvitur; subinde tussis convulsiva et singultus molestus eam interrumpunt. Vox ob nimiam tracheae ac laryngis siccitatem evadit rauca, debilis fere balbutiens, non raro perfecta enascitur aponia.

Quemadmodum nonnulli affirmant, sub dolorum evolutione ab initio morbi, etiam febrim in conspectum venire, tamen alii in hoc morbi stadio ejus praesentiam negant; nihilominus *pulsus*, morbo ingruente, normalis non est, plerumque enim fortis, plenus, sub exacerbatione rarior, sub remissione frequentior, semper tamen adeo durus, ut fili metallici valde tensi adinstar arteriae, motu tardo vibranteque, digitum tangentem feriant. Pathognomonica ac mira haec pulsum conditio diutissime perstat, nec ulli tractamini cedit, nec sub paralysis deest; si supervenit haec imminuitur, neque sub atrophia penitus disparet, huicque morbo tam propria, ut cel. Stollus unicum solum casum enarret, in quo pulsum mollem ac inaequabilem invenerit. Sanguis sub

his rerum circumstantiis venae sectione detractus, corium exhibet crassum; calor animalis vix est adauctus, nec alia febrilia apparent symptomata.

§. 7.

Praeter superius allata symptomata, nisi per artem ulteriori morbi incremento obices ponuntur, intensitate semper increscentia, nova adhuc in lucem veniunt, multo magis funestiora.

Sensuum enim ex- et internorum functiones vario modo turbantur, visus magis magisque obscurior evadit, pupilla enim sub morbi exordio ultra statum normalem coarctata, in hoc morbi stadio altiori, majorem dilatationem experitur, immobilis, erga lucis, aliorumque stimulorum externorum actionem iners conspicitur, et non raro perfecta coecitas, amaurosi inducitur. Tali ratione patitur auditus, magis magisque imminuitur, donec tandem cophosi aeger hoc sensu penitus privatur. Praeterea accedunt stupor lateris unius, sensatio ac si formicae per partem reptarent, dedolatio artuum motusque difficulter peragendus. Dolores exoriuntur iis similes, qui a rheumatismo producuntur, in brachiis, imprimis in vola manus ac planta pedis, in femoribus, articulationibus digitorum manuum pedumque, quibus haec, quasi a vi externa distortae prospiciunt; exasperantur hi dolores tempore vespertino ac nocturno, mitescunt autem mane versus. Si in regione lumbali sedem pro tempore figunt lumbaginem vel malum ischiadicum simulare valent.

§. 8.

Inter symptomata minus frequentia pertinent nodi ab initio molles et mobiles, serius autem duriores et fixi, fabae

magnitudinem attingentes, nucem vero avellanam dimidiam, non excedentes, quibus nonnulli, praecipue si jam saepius hoc morbo tentati fuere, in manuum dorso, supra digitorum tendines, aut in intervallis illarum, motum tendinis subjacentis tandem inhibendo, vexantur. Tubercula non absimilia cel. Stoll ad anulum inquinalem observasse adfirmat.

Evolvuntur quoque tumores in tibia aut fibula, nec non in extremitatibus superioribus multum dolentes, quorum dolores de nocte sub lecti tepore exasperantur, qua de causa cum osteocopis facile confunduntur. Hos autem nodos ac tumores alij sub colica Saturnina se non observasse dicunt, et opinionem: effectus colicae hujus esse in dubium vocant.

§. 9.

Morbo vero nunc ad majus culmen evecto, febris lenta, depascens nervosa, statusque universalis cachecticus se insinuant, sub nomine *tabis metallicae* notus, se manifestans feбри supra dicta, sensuum omnium stupore, tussi sicca, statu soporoso tremoribus ac convulsionibus universalibus, epilepticis, quas silentes paralysis excipit, artus superiores, inferioribus frequentius infestans, quae tamen frequentissime solum paresis est, facultate enim motrice deleta, ea sentiendi remanet. Vertebrae nonnunquam inimicam plumbi vim experiuntur, referente enim cel. Poterio aeger Saturno intoxicatus, in latere dextro paralyticus evasisse dicitur eum vertebra adco distortis, ut collum obriguerit. Exorditur haec paralysis modo successive, modo repente, et membra plumbeo pondere ac dolore vehementissimo lancinante vexat.

Sub tali rerum statu aegri melancholia corripuntur, qua fit, ut homines alios fugiant, ut mortem sibi exoptent, imo desperatione suicidae evadant; subinde sub insultu apoplectico morte rapiuntur.

§. 10.

Protracto morbo carnes consumuntur omnes, imprimis muscoli inter pollicem indicemque collocati; membra paralytica atrophia corripuntur, neque amplius pristinum recuperant volumen; faciem exhibent aegri in hoc morbi stadio ultimo collapsam, pallidam, luridam. Cutis universa est sicca rigidaque subinde exanthematibus nauseam moventibus, vel maculis, praecipue in abdomine, ut ephelidibus vel cloasmatibus defoedata; non raro aphthae oris fauciumque, hydropes, icteri, ac pulmonum suppurationes enascuntur, atque aegri paralyti ac tabi universali succumbunt, cujus nulla species tam gravibus ac revera terribilibus stipatur symptomatibus, quam haec *metallica* dicta.

§ 11.

Dantur quoque casus, ubi mors subsequeretur per enteritidem vel ileum, colicae saturninae se associantes: aegri in tali casu doloribus crudelissimis vehementissimisque vexati, materiam viridescentem, vel nigricantem, vel plane faeces revomunt.

§. 12.

Mali hujus decursus varius est; dantur enim casus, qui spatio paucarum dierum absolvuntur; durat vero nonnunquam morbus per diutinum tempus, menses scilicet imo et annos, praecipue apud illos, quibus cum hoc metallo lethifero negotium; attamen consueto more morbus hic plerumque intra spatium trium quatuorve septimanarum finitur.

§. 13.

Non tamen omnis morte terminatur colica saturnina, dantur casus, ubi vita aegri conservata et sanitas reversa

est; sed vix unquam haec sanitatis restitutio, vitaeque conservatio a naturae moliminibus sunt sperandae; in hoc enim morbo naturae vis medicatrix sola hoc venenum lethale nec enervare, nec valet expellere, ac actio per tale toxicum inducta tamdiu in corpore latitat, donec tandem vel per moram longiorem vim amisit, aut per artis salutiferae adminicula, si recto tempore ac modo adhibebantur, penitus enervatum atque expulsum fuerit. Talem exitum felicem sperare licet, tum exasperationes dolorum rariores, mitioresque evadunt, facies incipit rubescere, sitis intensa, foetor ac siccitas oris disparent, lingua, antrum oris, ac cutis sensim purgantur: haec iterum calet et madescit, arteriarum pulsus celeriores, pleniores, mollioresque tanguntur; cophosis mitior, pupilla minus est dilatata; dysuria ac stranguria disparent, urina nonnunquam deponit sedimentum furfuraceum vel lateritium; praecipue vero si secedunt flatus aegro laevamen adferentes, alvinae excretiones, sub dolorum colicorum circa umbilicum imminutione, iterum crebriores contingunt, faecesque excretae initio scybalosae, serius normales evadunt; appetitus sensim revertitur, somnus conceditur reficiens, et tandem postquam morbus novem, quatuordecim dies, aut tres et adhuc plures duravit septimanas, reconvalescentia instare incipit. Criticae evacuationes in hoc morbo propriae non observantur, praeter urinae sedimentum, quod autem etiam non semper fit. Alii vero dicunt morbum solvi posse per evacuationes alvi liberas et fluidas, per haemorrhoides, fluxum menstruum, sudores largos, haemorrhagias, praecipue epistaxim et haemorrhagiam ani; secundum cel. Huxhamium per pustulas in cuti comparentes. Ast haec criticae evacuationes rarissime fuere observatae, et jam cel. Grashuis, hac de re loquens, dicit: „*Neque per ejusmodi evacuationes criticas morbus sua natura solvi posse mihi videtur*“ g) etiamsi notum sit, quod, quo citius sponte se-

g) Grashuis de colica Pictonum. Amstelodami. 1762.

cedit alvus et sudores largi comparent, eo citius morbus evanescat.

§. 14.

Si vero malum notabiles jam fecit progressus, imprimis si paralysis majorem evolutionis gradum attigerunt, perfecta sanitatis restitutio vix unquam est speranda; vita tamen aegri protracta, transitus fit in morbos jam supra memoratos et quoque alios, ut: tabem universalem, icterum, hydropem, paresim et paralysim extremitatum permanentem, in arthralgiam chronicam, artuum contractiones varias, tubercula et nodos duros carpi metacarpique; in tremores, choreas, convulsiones, languorem chronicum, dispnoeam et asthma; in amaurosim, aliasque morbosas nervorum adfectiones. Amaurosis talis, referente cel. Duplay praecipue se characterisat per vehementem ac repentinam evolutionem, dum intra paucas horas visus deficit. Plerumque enascitur amaurosis post plures colicae paroxysmos, subinde vero jam primum sequitur, tali ratione, quali reliquae nervorum perturbationes jam sub primo paroxysmo in conspectum venire possunt. In non paucis casibus, haec nervorum affectiones amaurosim praecedunt, in aliis sine omnibus prodromis amaurosis comparet, quam reliquae nervorum affectiones sequuntur. Talis amaurosis per colicam saturninam productae duratio brevis est, a paucis horis usque unum vel duos menses, duratio media est quinque vel sex mensium. Amaurosis haec facilis est sanatu, et tantum unica vice fuit insanabilis. Expostulat colicae saturninae therapiam. h)

§. 15.

Autopsia post obitum exhibet vix ulla vel valde differentia vestigia. Cel. Wilson in cadaveribus animalium va-

h) *Prorieps Notizen.* 45. B. 1855. Nro 7. p. 112.

poribus plumbi enecatorum membranam ventriculi et intesti-
norum mucosam pulvere plumbeo hinc inde obductam, in-
flammationes sparsas, in gangraenam transeuntes *i*) excre-
menta pauca, dura, parietes intestinorum incrassatas, lumen
eorum hinc inde imminutum, invenit.

In defunctis e colica saturnina hominibus fere similia de-
fecta sunt vestigia; sic praeprimis colon et rectum dilatatum,
cum maculis gangraenosis, intestina tenuia diversimode con-
tracta, inflammata, hinc inde gangraenosa, illorum tunicae
incrassatae, eorum concretiones ac dislocationes, ulcera par-
va atque non raro totus tractus intestinalis exulceratus, in-
farctus glandularum meseraicarum; ventriculus inflammatus,
systema venae portarum sanguine tenaci, nigro obrutum,
pancreas et hepar induratum, vesica fellea atra bili repleta;
lymphæ in antris cordis coagulata, vasa cerebri turgescen-
tia. *k*)

§. 16.

Quamquam ex hucusque adlatis signis pathognomonicis
non erit difficile, colicam metallicam et in specie saturni-
nam cognoscere, tamen ad perfectam morbi diagnosim de-
terminandam, necessaria quoque est momentorum pathogene-
ticorum cognitio. Quae vero momenta cuncta morbum pro-
ducere valentia a pathologis in disponentia dispescuntur et
excitantia, de quibus seorsim agendum.

Dispositionem quod attinet, observatum est, nonnullis
plumbum peculiari modo et gravius, frequentiusque nocere,
quam corporis diathesim venenum hocce aversetur vel amet,
nondum constat. Referunt aliqui observatores praedisposi-
tionem in hunc morbum inesse majorem debilibus, magna
sensibilitate ac irritabilitate gaudentibus, ut viris hypochon-
driacis, feminis hystericis; diarrhoeis antecessis vexatis, re-

i) Barserius Tom. 4. pag. 382.

k) De Haën ratio medendi tom. 10.

convalescentibus e quocumque tractus intestinalis morbo, quoniam in talibus hominibus major viget resorptio. Experientia docente, homines cholericus, ad animi motus prouini, timidique frequentissime hoc afficiuntur malo; porro quoque scorbutus, arthritis et aliae diatheses, catameniorum et lochiorum suppressio hanc praedispositionem efficere valent. Probatum praedispositio haec experientia: dantur enim homines, qui per longum tempus plumbi influxibus sine noxa sunt expositi, ubi ex altera parte alii vix actioni illius metalli expositi graves experiuntur sequelas.

Non minus ad praedispositionem, praecipue in colicam saturninam producendam, adque ejus jam praesentis modificationem conferunt vitae genus ac occupatio. Hinc in hominibus, qui plumbo tractando occupantur, qui in plumbeis degunt mineris, terendis occupantur pigmentis, aut qui varia ratione plumbum in officinis praeparant, hujus metalli vaporibus, quos per pulmones et cutim attrahuntur, expositi sunt, colica saepissime occurrit saturnina. Sic morbus non rarus est in illis, qui aut figulino opere occupantur juxta cel. Ramazzini, apud quos nomine *colicae figulorum* obvenit; aut qui utuntur pigmentario, ac plumbi praeparatis, cerussa, minio, lithargyro, quae colica apud hos exorta nomine *colicae pictorum* (Mahlwerk) nota est. Saepius exorta est colica talis in literarum metallorum fusoribus, apud quos germani morbum vocant die Hüttenfäße. Frequens morbus est in montanisticis, inter quos imprimis sub cupellatione malum excitatur, ut tradunt collectiones chemicae Leydenses. Auctores cap. 165. „*Inesse nempe saturno spiritum acidum acerrimum, penetrantissimum, austerum; ut si quis ore vel naribus, dum instituitur cupellatio, vapores e plumbo exhalantes excipiat, exinde suffocari possit, ac qui parum caverent, omnium dentium casum pati solent. Id suo periculo satis norunt depuratores auri ac argenti, ob plumbi mixturam.*“

§. 17.

Sed plumbum, unica hujus morbi, nempe colicae saturninae, causa excitans, non tantum forma vaporum, ut modo diximus, organismum humorum intrat, sed quoque in substantia, et cum variis fluidis solutum ingeri potest.

Neminem latebit, quod plumbum in substantia qua regulus vel sal sumptum, sanitati noceat, nam primo in casu facile oxydatur, et humoribus organismi deinde, sicuti illius sales, solvitur: tali ratione autem rarius, quam forma vaporum, quae est frequentissima et rarius quam cum fluidis, in corpus humanum suscipitur, et quidem tum si opifices varii particulas hujus metalli manibus adhaerentes cum cibis deglutiunt, vel si cerussa ad falsam provocandam formositatem utuntur feminae.

Fluidis, ut aquae, vino, aceto, et cremato vel arte fraudulenta, uti vino acido a vini quaestoribus perniciosissimis ad dulcedinem conciliandam additur saccharum saturni, vel casus fortuitus, uti in culinis e vasis stanneis vel fictilibus fieri solet, hoc metallum immiscet, quae fluida frequentissime, insciis talibus miseris, sunt causa colicae saturninae chronicae.

Aqua autem plumbum solutum continere potest, si e longinquo per canales plumbeos feratur, vel si aquae pluviae in cystemis plumbo obductis, uti Amstelodami, colliguntur.

Frequentior hujusce morbi causa vasa culinaria, stannea, fictilia uno verbo omnia, quae vel substantiis plumbum continentibus, sunt obducta, vel in quorum substantia ipsa plumbum est contentum, imprimis si quotidie in usum trahuntur, si res pinques, rancidae, salsae vel acidae per longius tempus in illis conservantur, quibus plumbum oxydatur, solvitur et sic cum nutrimentis potulentisque ingeritur, quod experientia quotidiana confirmat, dum in olla

ficili recenter emta coquatur acetum vel fluidum aliud, deinde vero reagentium ope plumbi praesentia investigetur. Cel. consiliarius mulicus Ebelius in opere suo egregio demonstrat, quod pristinis temporibus colica saturnina cognita non fuerit, quoniam tunc temporis nullum encausto, seu sic dictae glasurae additum fuerat plumbum; demonstrat porro, quod genus humanum ex hocce tempore (anno 1500) sensim debilius evaserit; evincit, quod plumbum tali ratione ingestum, sensim tantae sit quantitatis, ut malum hoc provocare valeat, et quod praecipue homines nobiliores hac e causa maxima pro parte sint debiliores, quia vasa fictilia sumunt, frequentius recentia; denique enarrat casus plures colicae saturninae hac ratione productae. 1)

§. 18.

Causam morbi proximam ut facilius eruamus, plumbi actionem in organismum humanum considerare oportet.

Plumbum ad venena sic dicta *exsiccantia* pertinet; hinc membranae mucosae secretionem imminuit et penitus supprimit, muco ipsam spoliat nisumque in contractionem provocat; inde alvi obstipatio, inde tenesmus, ani coarctatio, angustationes cahalis intestinalis, inde dolores; sed actio haec quoque ultra tubum intestinale propagatur, propterea cutis et narium siccitas, dolores ingentes aliarum partium, hinc ischuria et stranguria, phthisis tabesque observantur. Porro alia plumbi vis, qua organismum vivum adgreditur, est: *stiptica vel contrahens*, quapropter sensibilitatis evolutionem impedit, evolutam subducit, atque praevalentem in organis cellulosis contractionem exhibet; inde patet, plumbum tali

1) Hofrath G. A. Ebel, die Bleisglasur des irdenen Küchengefäßes als eine anerkannte Hauptquelle vieler Krankheiten und Mitursache der Abnahme körperlicher Kräfte der Menschen. Hannover 1825

ratione in organismum humanum influens, pro varia hujus, quam infestat, plaga etiam varia provocare symptomata nervosa; hinc dolores et contractiones spasticas, hinc amaurosism, paralyses extremitatum, apoplexiam, epilepsiam et similia animadvertimus phaenomena.

Quibus omnibus attenta mente consideratis causa colicae saturninae proxima probabiliter *in exsiccatione et inflammatione partiali tractus intestinalis et contractione intestinorum spastica, sensibilitateque imminuta consistere videtur.*

§. 19.

Ex hucusque adductis momentis et pathognomonicis et pathogeneticis, per reflexionem inter se combinatis, praeterea quo accuratius aeger causam valet enarrare occasionalem, quo melius ejus vitae genus et occupatio est cognita, morbusque absque omni complicatione intrat ac procedit, fere in plerisque casibus *Diagnosis* colicae saturninae est facilis. Occurrunt tamen saepe saepius circumstantiae contrariae, praecipue si nullam aeger valet assignare causam, (uti hoc, si plumbum e vasis culinaribus nutrimentis potulentisque immiscetur, fieri solet), si morbus complicatus, vel ab alio metallo est productus, vel alia colicae specie praesente: quibus in casibus *Diagnosis* difficilis et vacillans potest evadere. Propterea breviter adducam praecipuos et saepius obvenientes tales status morbosos, et symptomata, quibus a colica saturnina distinguuntur, exponam.

Non omnis, pluribus hujusque enumeratis symptomatibus colica stipata, et ideo metallica dicta, producta est per plumbum, dum et aliorum metallorum, ut *cupri, antimonii, arsenici, hydrargyri* etc. aut usus frequentior, aut tractatio incauta, similia signa morbosa valent provocare.

Sic *cuprum* in organismum majori dosi, perve longius tempus assumptum potest producere colicam, colicae saturni-

nae simillimam, non semper facile distinguendam, nam fere iisdem stipatur symptomatibus, imo signa colicam saturninam prae aliis characterisantia, ut abdomen violenter retractum, et alvi pertinacissima obstipatio, non omnibus in casibus deficiunt; plerumque tamen, ita ut in colica vel ab *antimonio*, vel *arsenico*, vel *hydrargyro*, vel *alio metallo acri* producta, abdomen non est retractum, sed *nimum extensum*, *inflatum*, flatibus secedentibus copiosis, et ista pertinacissima alvi obstipatio cedit *diarrhoeis frequentioribus*, non raro *cruentis*; praeterea aeger accusat dolores atroces urentes, corro dentes, in cavo oris et faucium inque ventriculo; *hydrargyro* causam excitantem constituyente simul *ptyalismus* copiosus atque molestus in conspectum venit. Praeter hos dolores *arsenicum* et *cuprum* provocant vomituritiones crebriores frustraneas, subinde vomitus frequentes, anxietatem summam, imo subinde suffocationis metum.

Colica alia vehemens, colicae saturninae simillima, est ea ex abusu fructuum horreorum acidulorum inducta *vegetabilis* dicta, de qua vero serius mentionem faciam.

Colica vero *inflammatoria*, *verminosa*, *ceteraeque colicae species* omnes facile a colica saturnina distinguuntur, si omnia momenta et pathognomonica et pathogenetica rite perpendimus.

In diagnosi vero dubii haesitare possemus, doloribus ab *enteritide* productis praesentibus; sunt vero dolores hi continui vehementes, totum occupant abdomen, ut ne minima pressio nec leve stragulorum feratur pondus, calor abdominis est adauctus, et febris summa, quae omnia sub colica saturnina locum non habent.

Cum *dysenteria* ac *tenesmo* denique colica saturnina potest confundi: evacuationes vero sub dysenteria fere perpetuae liquidae, saepe saepius cruentae, dysenteriae familiares, febris, reliquorum symptomatum et momentorum pathogeneticorum conditiones diagnosim extra dubium ponunt.

§. 20.

Praesagium colicae metallicae, in specie saturninae, cel. Grashuisio testante morbi aegro infensissimi, et medico curatu difficillimi, respectu eventus, semper est dubium incertumque; summo enim stipatur omine. Non paucos apparenter sanos aut perexiguis torminibus admonitos morbi vis subito prostravit epileptice convulsos; alios vero jam convalescere visos foedissimum id malum corripuit. Cel. Stollus refert duos casus, in quibus morbus jam ultra eos limites excurrit, intra quos ars aegros inde liberare potuisset, qui vero febre maligna superaccedente periire.

Si morbus est recens, statimque ab initio congrua adaptatur therapia, si est gradus mitioris, absque complicatione cum alio morbo, in subjecto juvenili secus sano, et forte aestatis tempore erupit, prognosis verosimiliter fausta stabiliri potest, et eo majori jure, quo certius aeger causas occasionales potest evitare.

Morbo contra jam chronico existente, ad majorem evolutionis gradum evectoro, cum alio morbo ut hydrope, epilepsia, feбри nervosa, lue syphilitica etc. complicato, therapia vel nulla, vel perversa adhibita; porro aegro iisdem potentiis nocentibus exposito manente, denique morbo, subjectum robustum, plethoricum, vel ex altera parte debile, exhaustum, hyemis tempore invadente; tum prognosis pessima pronuntiari debet, nam vel enteritis difficillime debellanda, vel paralysis, tabes, epilepsia vel apoplexia intrans. Ceterum medicus in pronuntianda prognosi cautus esse debet, ne inspecta aliqua aegri emendatione, ut alvo sponte secedente, pulsu liberiore, cutis transpiratione restituta, lingua humida, urina normali, torminibus, et lacerantibus extremitatum doloribus silentibus, quamquam bona sunt phaenomena, statim faustum promittet exitum, nam morbus facillime evadit recidivus et aeger repente apoplectice, aut sub convulsionibus e-

pilepticis vitam finit. Tantum si ad adhibitis remediis nervorum turbæ jam essent sopitæ, alvo libera, urina critica, omnium symptomatum morbosorum de die in diem observaretur decrementum, tunc felicem exitum sperare, præ sagireque licet.

§. 21.

Ad quem vero eventum faustum obtinendum necessarium est, ut morbus diagnosi rite eruta, therapia quoque rationali justo tempore instituta, impugnetur. Medici vero officium est non solum morbum evolutum tractandi, sed, si fieri potest, evolutionem ejus præcavendi, cui scopo per *prophylaxim* rite coordinatam satisfaciet.

Quapropter ante omnia potentiae nocentis influxum ut fugiant, omni jure et tutissime suadeant medici, quod si fieri nequit, ut in fabricis, ubi metalla hæc noxia tractantur, tum iidem opifices non diutius, mense continuo laborent, quo tempore elapso extra fabricas vires iterum reficiant; laborantes vero atria illa, quibus noxiis metallorum, imprimis plumbi influxibus sunt expositi, nempe cutim externam, organa digestionis ac respirationis contra illos muniant; ideo admonendi opifices tales, ut cutis servent munditiem balnearum ope, ut vestes ex officinis egressi deponant sæpiusque purgent, os frequentius eluant atque manus diligenter lavent, præcipue ante prandium; ut exspuant salivam, non eam deglutiant; aërem in officinis diligenter ventilando renouent, ne vapores adscendentes attrahendo, morbum acquirant, faciem obtegant linteamine, vel os et nares obstruant spongia majori humida, retro aures fasciarum ope alligata. (A Bochart figuræ cereæ sunt detectæ, in quarum sine, ori proprii spongiæ marinae frustulum applicatur.)

Porro suadendum, ne opifices in officinis talibus comedant, ne ibi decumbant.

Quum constet, plumbi praeparata acidis vegetabilibus soluta, imprimis vim venenatam manifestare, operariis summa ciborum ac potulentorum acidorum abstinentia est commendanda; fruantur magis cibus et oleis pinguibus, modica vero quantitate, ne, cum difficilia sint digestu, organa digestionis molestant; pro potu optime convenit cerevisia et lac aqua attenuatum. ●

Purgantia, nisi stricte sunt indicata, evitentur; diarrhoeae enim facile exortae, ad morbum praedisponunt. Imprimis omnibus talibus opificibus suadendum, ut sub primo morbi evolutionis momento medici auxilium implorent.

Summa attentione vero ac severitate invigilandum est, ne stannum pro confectione vasorum stanneorum adulteretur plumbo, ut debita instannatio vasorum cupreorum cum stanno purissimo fiat; porro ut vasa figlina bonae sint qualitatis, nempe: dura, aequabiliter encausto obducta, quod cognoscitur, si acetum vel aqua, cui murias sodae immixtus est, diutius in talibus vasibus asservata, vel quoque in iisdem cocta nullum exhibent saporem dulcescentem, nec liquoris probatorii Hahnemanni, neque solutionis Kalinae ope, plumbi vestigia monstrant. In genere encaustum, quo vasa figlina obducuntur, flavum viridi vel nigro est anteponendum. Eadem attentio versetur quoque circa mercatores vinarios, ne vinis fraudulentamente modo plumbi salibus dulcificatis ac coloratis, potantibus tali ratione venenum hoc atrocissimum communicetur, ac in summum vitae discrimen conjiciantur. His enim neglectis saepius morbi hujus evolutioni ansa datur.

Eadem de causa ad construendos aquaeductus non adhibeantur fistulae e plumbo confectae.

Denique non superfluum mihi videtur ad curam praeservativam adhuc commemorare et suadere, ne cibi pingues, salsi acidique, ne olea aliaque nutrimenta, quae plumbum solvunt, quia facile rancida evadunt, neque potulenta, uti vinum, coffea, crematum, cerevisia, aqua etc. diutius in vasi-

bus figlinis asserventur, utque semper ante eorum usum vasa quaecumque aqua vel mera, melius autem aceto vel muriate sodae ad mixtis, prius excoquantur. *m*)

§. 22.

Morbus vero jam evolutus pharmacis congruis tractari debet. Medici tamen multum dissentiunt in tractando hoc morbo; commendant enim non pauci et famae non exiguae viri, curam therapeuticam hujus morbi esse inchoandam cum evacuatione veneni, ideo statim ab initio adhibenda esse *emetica* dicunt, ut: Huxham et du Bois, sed damnant illa alii nempe: Sennertus, Citesius, Baglivius, Boerhavius, de Haënius et Stollus, atque alii, qui curam incipiunt cum *oleosis mucilaginosisque*.

Emetica in morbo, producto per venenum ore ingestum et adhuc in ventriculo haerens, porro in morbo, ubi symptomata nervosa sub ulteriori morbi evolutione comparentia mitiori tantum in gradu aegrum adfligunt, prodesse posse, concedam, quia per veneni hujus evacuationem, posteriores ejus noxiæ effectus praecaveantur; secundo vero certe juvant, vi concutiente nervos aliter disponendo, contenta ventriculi eliminando, sudorem promovendo; talique ratione leviores spasticas affectiones resolvere valent. Ut plurimum vero plumbum corpus humanum vaporum forma ingreditur, et per vasa absorbentia jam in massam humorum est receptum, ideo non amplius primis viis inhaeret; praeterea spasmodicae contractiones tractus intestinalis adsunt summa vehementia, ita, ut emeticorum usus non solum non prodesset, imo vero malum magis exasperaret.

§. 23.

Iterum alii, inter quos praeprimis de Haënius, commendant *sanguinis evacuationem, methodumque stricte antiphlogisticum*, quam vero tractandi methodum paulo post, ob effectus non respondententes ipsi deseruerunt. Rarissimi enim dantur casus, ubi morbi character est mere inflammatorius; longe frequentius symptomata essentialia sunt nervosa, ut: spasmi, dolores, paralyses etc, contra quae igitur therapia rationalis praeprimis est dirigenda, quum aegros summa cum vehementia adgrediantur, iisque aegri facillime et quidem plurimi succumbant.

§. 24.

Quibus e causis in tractando hoc morbo indicationes longe aliter sunt instituendae, et quidem *prima indicatio* largitur indicata ad sedandos istos dolores ac spasmos;

Secunda ad vim plumbi venenatam inefficacem reddendam;

Tertia denique ad materiam morbum sustentantem eliminandam.

§. 25.

Primae ergo indicationi, ut satisfiat, curam colicae saturninae therapeuticam censeo inchoandam remediis antispasmodicis, emollientibus ac oleosis, quorum actione sensibilitas ac irritabilitas tubi alimentaris morbose exaltata, ideo spasmi ac dolores aegrum vehementissime divexantes mitigantur sufferunturque. Simul venenum ipsum forte adhuc in tubo alimentari haerens involvunt ejusque vim nocivam obtundunt.

Praescribimus igitur olea blanda recenter pressa, ut olivarum, amygdalarum dulcium, ricini, papaveris albi, vel

mera, melius vero ope mucilaginis gummi tragacanthae, vel *gg. arabici* in emulsione spuria suspensa omni dimidia vel integra hora medio vasculo coffeaceo sumta; porro commendamus decocta emollientia, mucilaginosa, seminum lini, hordei, papaveris albi, radicis Salep, Altheae etc. et non raro in morbi gradu mitiori haec mitiora effectum exserunt optatum.

§. 26.

Ast ubi spasmi sunt intensiores, ad fortiora est recurrendum, atque principem in hoc morbo, testantibus, cel. virorum observationibus, locum tenet *Opium* dosi successive majori adhibitum a *gr. j. p. n.* incipiendo, apudque adultos usque ad *gr. iv.* et ultra quoque augendum. Cel. Stollus per noctem in hoc morbo in aegro uno exhibuit *gr. xiii.* absque narcotismi phaenomenis. Remedium hoc non solum sensibilitatem, spasmos solvit, nervos grate adficiendo sedat, sudorem salubrem provocat, quibus factis alvinas quoque excretiones promovet. Obtento vero effectum optato, non illico ab illius usu est abstinendum, sed continuetur eousque, donec pulsus redduntur molliores, manifesto indicio, morbum maxima pro parte esse fractum.



§. 27.

Exhibetur hoc eximium remedium varia forma, diversisque modis.

Ita nonnulli, ut cel. Stollus et Frank, et quidem prior praemissis emollientibus, alter vero emeticis antea adhibitis, ad sedandos dolores atroces ac spasmos, opium solum in usum vocant, amboque multos aegros hac methodo sanasse adfirmant, quod vero alii observatores non sunt experti.

Opium si solum adhibetur, praescribitur vel forma pulveris a *gr. j—iv.* et ultra in doses plures dispescendo; melius vero

emulsionis forma: *Rp*: Olei amygdalarum dulcium *dr.* ij. Muciliginis *gg.* Arabici *unc.* j. tere c. s. q. aquae f. ut f. l. a. Emulsio *unc.* vj. adde: Opii puri mucilagine *gg.* Arabici subacti *gr.* j—iv. Syrupi papaveris albi *unc.* j. M. DS. Omni hora cochlear. ord. uno sumendum.

Cel. Stollus suadet quoque, ut opium agat efficacius ac tutius, venaesectionem esse praemittendam, et clar. Sieger in Dissert. de Colica Saturnina enarrat casum, in quo cel. Prof. Bischoff sub opii ipsius usu, cum spasmos, quam ansam obstipationis, non tolleret, venam faustissimo cum effectu secasit; quod quidem concedam, si intensioris ac periculosissimae inflammationis symptomata in conspectum veniunt, vel si per congestiones nimias versus caput apoplexia imminet, et multa antea adlatorum remediorum jam frustra sunt tentata; qui vero casus rariores occurrunt.

§. 28.

In individujs plethoricis habituque apoplectico praeditis, praepremis vero si dolores mitiores, opio jam praemisso, sustinentur solummodo e sensibilitate adaucta, tunc Stollus in locum opii commendat extractum *Hyoscyami*, in quo casu referente iterum Sieger cel. Bischoff non raro suadet aquam *Laurocerasi*. A nonnullis *Camphora* quoque laudatur, imprimis a Burserio in connubio cum opio, antea dictis vero, praecipue opio, non acquiranda.

§. 29.

Ad opii vim adjuvandam alvumque faciliorem reddendam, remedia emollientia, oleosa, antea commemorata, subinde quoque purgantia mitiora, eccoprotica sales mitiores, ne intestinis jam antea irritatis novum addatur irritamentum, fibrae vero rigidae relaxentur, simul in usum trahenda sunt.

§. 30.

Non raro accidit, ut nulla tractus intestinalis adsit affectio spastica, nec sensibilitas irritabilitasque exaltatae, imo vero organa haec torpore ad paralysem fere accedente laborant, tunc supra adducta remedia mitiora parum vel plane nil proderunt, in tali casu cel. Himly commendat *purgantia efficaciora imo drastica*, et quidem pulverem Radicis Jalappae cum Mercurio dulci, illoque non sufficiente Resinam Jalappae exhibet. Cel. Gebel commendat pilulas e resina Jalappae cum Opio; *Rp: Resinae Jalappae dr. j. Opii puri gr. iv—vj. pilulae formatae ponderis gr. jj. intra diem (quinque omni altera hora) absumantur.*

Sub drasticorum vero usu summa semper cautela est observanda, ne nimia irritatione noceant.

§. 31

In majore mali gradu, cum aegri inquietudine summa, anxietate, alvi pertinacissima obstipatione excrucientur, adque valde timendas inflammationes praecavendas, Opium in connubio cum Mercurio dulci felicissimo cum eventu saepe saepius fuit adhibitum; praescribunt nonnulli Opii et Mercurii dulcis anaticam quantitatem, ita ut negor quater de die pulverem absumat ex Opii et Mercurii dulcis aa. *gr. j.* Burger vero contra colicam saturninam Idriae valde frequentem successu felici adhibuit pulveres e Laudani puri *gr. vj.* Calomelis *gr. xij.* Sacchari albi *dr. ij.* exacte mixta dividuntur in partes aequales *xij.* et sumatur omni tertia hora pulvis *j.* superbiatur lac dulce tepidum, vel emolliens decoctum.

§. 32.

His omnibus haud sufficientibus eximium remedium experientia longa amplaque probatum possidemus in *Alumino.*

quod cel. Grashuisius primus in colica e plumbo, optimo cum eventu exhibuit. Post Grashuisium plures alii experientia doctissimi viri Percival, Zinken, Lentin, de Haën, Quarin exempla per hocce remedium e morbo dirissimo sanatorum adferunt, apud quos et opium et reliqua commemorata remedia jam frustra fuerunt tentata.

Recentioribus temporibus denuo Graf et Himly hocce remedium summis extollunt laudibus, atque posterior alumen se quoque in illo casu efficax exhibuisse dicitur, ubi jam in sequelam intoxicationis cum plumbo amaurosis evoluta fuerat.

Exhibetur remedium forma pulveris a *gr.* jj —*vj.* cum pulveris *gg.* Arabici ac Sacchari albi *aa.* *scr.* β . *p.* *d.* exhibenturque tales doses omni altera hora.

Nonnulli exhibent majores Aluminis doses, nempe a *gr.* *xv.*—*scr.* *j.* *p.* *d.* quinquies vel sexies de die; vel praescribunt solutionem: *Rp:* Aluminis crudi *dr.* $\text{j}\beta$; solve in aquae dest. *unc.* *vj.* *M. S.* Alle 2 Stunden eine halbe Thectasse voll.

Iterum alii Alumen in connubio cum opio optimo successu exhibuerunt, nempe: *Rp:* Opii puri *gr.* $\frac{1}{4}$ — $\frac{1}{2}$. Aluminis *scr.* *j.* omni tertia hora sumendum.

Quanam vero ratione Alumen salutarem producit effectum, nondum satis perspectum est; chemiei alumen *decomponi* dicunt, acidum sulphuricum aluminis, ob majorem affinitatem ad plumbum, cum hoc in sulphatam plumbi, liquidis inquilinis insolubilem et minus inimicum abit. Alii potius *Saccharo*, quod cum alumine exhibetur omnem tribuunt virtutem, eo magis cum cel. Orfila insignem sacchari contra plures calces metallicas nocivas, laudet efficaciam, temporibusque recentissimis Reynard sacchari virtutem eximiam speciatim in colica plumbara docet.

Cum alumine quoque emollientia ac oleosa simul adhibita non carebunt effectu bono.

§. 33.

Praeter haec sub hoc rerum statu *externa* quoque remedia negligenda non sunt, eorumque rationalis conjunctio, priorum multum adjuvabit vim medicatricem. Propterea fomenta, cataplasmata emollientia, subinde emollienti-narcotica, torpore magis praesente aromatica, nervorum actionem incitantia abdomini adplicamus, talia quoque enemata, imo opinm forma clysmatis plurimi ordinant. R. J. Graves duos aegros cito per cataplasmata vel fomenta e nicotiana tabacae, tamdiu abdomini adposita, donec effectus tabacae proprii in conspectum venerunt, tunc vero adhibitis pilulis cum oleo crotonis et clysmatibus purgantibus, sanasse dicitur. Porro inungantur abdomini vel olea vel unguenta blandiora emollientia, ut oleum lini vel olivarum, etc. vel unguentum simplex vel altheae etc. vel haec cum narcoticis, ut oleo Hyoscyami, vel unguento de Hyoscyamo, vel Cicutae, etc.; vel pro rerum circumstantiis adduntur emollientibus aromatica, ut chamomillae oleum, vel aetherea olea et camphora, etc. Effectum optatum praestabunt frictiones abdominis cum linimento volatili camphorato cum opio. R. anque linimentum paratum ex *unc.* ij. aquae Laurocerasi e *scr.* ij. extracti Belladonnae et *unc.* j. aetheris ad systematis nervorum actionem compescendam felici successu adhibuit.

Parisiis in nosocomio charitatis cel. Laennec per inunctiones unguenti hydrargyri cinerei ad salivationem usque, colicam saturninam intra brevissimum temporis spatium radicaliter sanasse dicitur.

§. 34.

Ad spasmodum solutionem, dolorumque mitigationem etiam *balnea* tepida, subinde emollientia, solventia ex aqua pura, saponacea, kalina, imprimis hydrothionica, etsi haec

naturalia haberi non possint, artefacta; subinde aromatica non parum utilitatis fuerunt.

Ita cel. Horn refert casum, ubi per Opium in connubio cum balneis tepidis et clysmatibus e sapone et oleo, colica saturnina cito feliciter sublata fuit.

§. 35.

A non paucis laudatur quoque *methodus antagonistica*; qua nempe nervorum actio ad loca alia derivatur, sicque dolori fortiori per antagonistica producto, cedit non infrequenter dolor fortis praesens, qua ratione etiam spasmi solvuntur, ut docet experientia.

Raque, cujus jam supra mentionem feci, suadet emplastrum compositum: *Rp*: Empl. Diachyli gum.; Theriacae, *aa. unc. β.* Empl. de Cicuta *unc. ij.* Camphorae pulv. *dr. j.* Sulphuris pulv. *dr. β.* Malax. leni igne f. empl. quod illinitur laciniae scortee tam magnae, ut abdomen totum obtegat. Priusquam emplastrum hoc abdomini applicatur, obducitur cum pulvere: *Rp*: Camphorae, Tartari stibiati *aa. dr. jβ.* Florum sulphuris *dr. β.* Regio lumbaris, a penultima vertebra dorsi ad os sacrum usque obtegitur emplastro sequenti: *Rp*: Empl. de Cicuta part. *ij.* Diachyli gum. part. *j.* leni igne liquatis additur Camphorae pulv. Sulphuris pulv. *aa. dr. j.* Emplastrum abdomen obtegens removetur, si aeger de doloribus a pustulis comparentibus conquaeritur; sed denuo applicatur, colica ambobus primis diebus non evanida. Emplastrum regioni lumbari impositum absque aegri detrimento quinque vel sex dies remanere potest. Praeterea adhibet simul linimentum memoratum partibus variis, imprimis femoribus et suris illiniendo; etiam lotiones continentes Tinct. aetheris fol. Belladonnae.

§. 36.

Symptomatibus ominosis, ut vomitu frequentiore, spasmis doloribusque valde intensis, mitigatis vel maxima pro

parte penitus silentibus, alvi evacuatione sponte secuta, pulsu pleniore celeriore tangendo summo periculo superato, medicum spes restituendae aegroti sanitatis affulget, et nunc *alterius indicationis* habito respectu, pharmaca adhibenda veniunt, quae cum plumbo ejusque praeparatis chemicum ingrediuntur conflictum, quo in ventriculo inque intestinis sit synthesis analysisque, actione tamen vitali modificanda, ut tali ratione veneuata plumbi vis infringatur. Huic indicationi satisfit per *Alkalia carbonica*, *Sulphureta kalina*, ut Kali carbonicum, Hepar sulphuris, cineres elixatos, per saponem venetum; et cum testante Orfila sulphas plumbi longe minus acetate noceat, plumbum vero ipsum, ob majorem affinitatem, avide acidum sulphuricum ad se rapiat, ideo maxime commendantur sulphas magnesiae, et lapides cancrorum cum Rheo; quae remedia aut in connubio cum antispasmodicis aut alternatim cum illis ingeruntur.

§. 37.

Tertia tandem *indicatio* praecipit remedia exhibere, quibus pertinax alvi constipatio tollitur ac noxia materia e corpore eliminatur. Quamquam videatur indicatio pro evacuante prima esse, haec tamen ob dolorem et spasmus rarissime suscipitur cum utilitate, quare initium curae cum *purgantibus* instituere, ut aliqui cum *Brambilla* autumant, votis haud responderet, excepto casu illo, ubi morbus per nimiam plumbi quantitatem unica vice ingestam, repente evolutus, citissime summum vehementiae gradum attingere minatur, in quo cura inchoanda cum remediis plumbum decomponentibus et evacuantibus. Adhibent nonnulli evacuationis scopo Antliam ventriculi *Weissianam*; vel antispasmodicis praemissis exhibent vomitivum e Zinco sulphurico sequente purgante ex oleo Ricini vel Crotonis cum sale Glauberi etc. Morbo contra per successivam plumbi in-

toxicationem lente evoluta, spasms antea pro parte jam sopitis, alvo etiam liberiore reddita, purgantia satis commendari non possunt, quorum usu et recidiva morbi optime praecavetur.

Solent adhiberi scopo evacuante olea blanda, oleum Ricini, Crotonis, porro radix Rhei, folia Sennae, item sales mitiores et medii, ut cremor tartari, magnesia carbonica, arcanum duplicatum, sal mirabilis Glauberi, sal amarus, quibus et clysmatum usus est adnectendus. Emetica in hoc morbo rarissime requiruntur, cum plurimi hoc malo laborantes emesi et quidem frequentiore adficiantur.

Non exigui valoris est et horum remediorum purgantium conjunctio cum antispasmodicis, ut cum infuso valerianae silvestris, Chamomillae, cum tinctura Castorei, et ut jam prius dixi, cum opio.

§. 38.

Cel. Günther ad hanc indicationem, priuam habitam, obtinendam, methodum proponit a se ipso excogitatam, quam multos aegros sanasse asserit, praescribendo, infusum Valerianae et foliorum Sennae cum sale amaro, addita parva dosi tincturae Thebaicae, simul cum clysmatibus evacuantibus et fomentationibus tepidis abdominis, e speciebus aromaticis. Alvo copiosius deposita porrigit aegris omni secunda vel tertia hora quatuor vel quinque pilulas sequenti ratione paratas: *Rp*: Resin. Jalappae, saponis veneti ana *ser. j.* hepatis sulphuris calc. Hahn. *dr. β. m. f.* pilulae pond. *gr. ij.* consperg. pulv. Liquiritiae. *D. S.* Omni 2—3 hora pil. 4—5. Per has pilulas producuntur alvi evacuationes adhuc frequentiores et praesens oxidum plumbi natura et actione mutatur.

Kolmodinus in Suecia per crebriores doses aceti vini cum sale epsomiensi alvum se feliciter aperuisse refert, quo facto omnia morbosa symptomata imminuta sunt jam sequente die.

Parisiis morbus hic cito per olei crotonis usum est sublatus.

§. 39.

Ad haecce remedia morbi symptomata nequaquam subito disparent, sed successive tantum imminuuntur, quo tempore et dosis remediorum adhibitorum imminuenda venit.

In morbo mitiore valetudo mox revertitur, sed nequam in graviore diutius neglecto, in quo dolores parvi colici adhuc saepius revertuntur, alvus quoque facile fit morosa, aeger laborat dispepsia, digestionem difficili, saepius recurrunt gastralgiae enteralgiae, aeger viribus lanquet, habitus fit cachecticus: corpore enim est emaciatus, colorem luridum exhibens, sub quibus circumstantiis tabes metallica est evoluta.

Ad quos status morbosos residuos auferendos, ulterioremque tabis evolutionem, exitusque infaustos praecavendos in illis casibus, in quibus sustentantur per infarctus et indurationes in tubo alimentari productos, maxima cum utilitate adhibentur thermae alcalino-sulphurcae, et quidem optimo cum effectu thermae nostrae Budenses saepe saepius jam sunt tentatae, et forma potus et forma balnei.

Qui similium aquarum naturalium usum instituere non valent, illis artificiales ex hepate sulphuris parare commendamus, cujusque praeparati usus internus hoc in casu optime conducit. Sunt vero multi, qui ob idiosyncrasiam peculiarem his aquis interne uti plane non valent, illis ordinamus decoctum vel graminis vel taraxaci saturatum cum sale amaro, vel arcano duplicato, vel sale mirabili Glauberi, vel alias aquas medicatas solventes, simul cum balneis sulphureis, vel ex aqua tepida saponacea, vel aliis solventibus.

§. 40.

Nihilominus omnibus his remediis adhibitis, morbi ulterior evolutio impediri nequit, sensuum externorum labes de

die in diem increscit, oriuntur tremores, convulsiones, paralysis extrematum, imprimis superiorum, quibus accedit non raro hydrops universalis, apoplexia, ac tandem inevitabilis mors scenam hanc tristem claudit.

Neque sub tali rerum conditione medicus de cura, felici cum eventu peragenda, desperet, infelicemque momento, quod solatio ac auxilio summe necessario indiget, destituat, imo potius summa cum diligentia remedia excogite, quibus forte status hos omninosissimos devincere valeat, si quod etiam omnis aevi medici operam navarunt, et non raro felici degrogorum restitutione eorum coronabatur opus.

§. 41.

Ideo ubi morbi e colica saturnina residui sustentantur per statum aegri asthenicum, tunc methodus laborans est indicata, aer purus siccus, cibus animalis nutritus, vinum bonum, motus corporis moderatus. Subinde tamen alia quoque remedia sunt necessaria, sic contra *paralyses* sensuum ac extrematum inductas commendantur remedia excitantia, Valeriana, Arnica, Serpentaria, Olea aethera, Castoreum, Moschus, praeparata ammoniae, camphora, phosphorus naphitis, vel oleis pinquibus exceptus. Summis porro laudibus imprimis Dahlberg et Kölpin decantant virtutem Tinct. colocynthidis, cujus dosim a gutt. x ad LX—LXX usque augent; in Anglia medici post cel. Alderson adhibent pulverem et extractum foliorum Rhois radicans et Toxicodendri. Cel. Porterius refert casum aegri sub decocto ligni sassafrae et baccis Lauri feliciter curati.

§. 42.

Externe in hunc finem adhibemus frictiones cum panno setaceo, lotiones, inunctiones spirituosas, aromaticas, cucur-

bitulas siccas, sinapismos, vesicantia, moxam. Nec thermarum sulphuratarum virtus, ut: Budensium, Badensium, Carolinarum etc. in affectione paralytica est reticenda; commendant nonnulli et balnea animalia atque stillatitia.

Referente cel. de Haën contra hanc paralytim electricitas utilissima adhibita fuit, cujus solius usum damnat cel. Stoll: quotquot enim ille sola electricitate tentavit restituere, omnes magis laesos esse observavit. Hoc non obstante remedium cum stimulantibus nervinis conjunctum eximius praestat effectus. In aliis casibus, ut testantur observationes cel. virorum Hunter, Clark, et P. Frank inunctiones unguenti hydrargyri cinerei, secundum longitudinem spinæ dorsi maxime votis respondisse narrantur.

§. 43.

Contra *convulsiones* ut epilepsiam residuam subinde utilis fuit radix Valerianæ sylvestris, subinde aromatica, stimulantia, vel stimulantia fortiora aetherea requiruntur, ut oleum animale Dippelii etc.

Minante vero *Apoplexia*, vel ea jam praesente ab excitantibus impropriis ab Opio abstinendum; instituantur potius venaesectiones injicianturque clysmata derivantia.

§. 44.

Ad curam vero perficiendam solus pharmacorum usus non sufficit; requiritur quoque regimen diaeteticum rite observatum; propterea nutrimentorum quantitas in genere tam diu, quamdiu adsunt dolores nimii est imminuenda, sub remissionibus alimenta parca, sed eupepta magis fluida concedenda sunt. Huc praecipue juscula e carnibus ovilibus vel gallinaceis, *ovis* sorbilia, spinacea, fructus horrei dulces spectant. Carnes solum morbo abacto tenerrimae sunt conce-

dendae. Pro potu cerevisia bona, aqua Spaenensis vel Pül-
naënsis cum lacte, modica quantitate quadrant. Refrigerium
omne strenue evitandum, secus morbus praesens exasperatur,
et abactus recidivat: pedes hiemali tempore panno laneo ob-
volvendi, sic et totum corpus, praecipue abdomen bene mu-
niendum, temperatura sit modica callida. Quod animi pa-
themata, affectus hinc omnes, praecipue vero deprimentes
evitandi sint, in aprico est.

§. 45.

Morbo per therapiam statui individuali accomodatam sa-
nato remanet dispositio in eundem, et quo saepius revertitur
morbus, eo gravioribus stipatur symptomatibus, et eo diffici-
lius curatur, ideo admonemus aegros *reconvalescentes*, ut
causam vitent excitantem, et si vitae genus enteralgiae huic
excitandae favens derelinquere non possunt, saltem observent
praecepta superius sub cura prophylactica jam adducta. Prae-
terea vero medicus talia adhibeat remedia, quibus aegri vi-
res debilitatas reliciat, digestionem assimilationemque pro-
moveat, omnesque potentias nocivas amoveat.

Talia ergo remedia in reconvalescentia laudata sunt: ra-
dices taraxaci, cichorei, herba fumariae, lichen islandicum,
chamomilla, melissa, cassia, cinamomum, calamus aromati-
cus; liquores aetherei ad guttas paucas, remedia spirituosa,
ut spiritus nitri dulcis etc.; quae remedia pro statu indivi-
duali ad perfectam sanitatis restitutionem perficiendam, lon-
giori adhuc tempore dosibus moderatis sunt adhibenda. His
simul jungenda est diaeta conveniens, oleorum nempe usus
alternans cum carnibus tenerioribus facile digerendis; pro
potu hauriat aeger aquam egelidam, cerevisiam bonam, vi-
num bonum parva quantitate, sic et lac asininum recenter
mulsum summis evehitur laudibus. Denique balnea simplicia,
serius sulphurea plurimum praestare dicunt; deambulationes

moderatae, refrigerium evitandum, alvusque aperta semper tenenda est.

Tales reconvalescentes, cum semper tristes, irracundi, vitaeque taediosi animadvertantur, medicus cautus curam suam quoque dirigat in psychen aegroti; quapropter animus eorum est exhilarandus, omnesque affectus deprimentes sedulo evitandi; sic, et quidem ante omnia, aegro suadendum, si possibile, ut negotio suo derelicto, alium sibi seligat.

§. 46.

Colica ex intoxicatione per *cuprum* orta, fere eandem exposcit therapiam, ut colica saturnina, exceptis solis purgantibus, quibus plurimis in casibus carere possumus, dum in tali colica sic dicta cuprina alvinae se et excretiones spontaneae crebriores, imo potius diarrhoeae et dysenteriae peritines observantur.

§. 47.

Praeter has methodos et remedia hucusque enumerata contra colicam saturninam adhibita alia quoque et antiquioribus et recentioribus temporibus usitata sunt, quarum methodum praecipuam Parisiis in nosocomio charitatis ab antiquis temporibus jam usitatam, summisque laudibus celebratam, latius exponam.

Aegris nempe omnibus sine discrimine, colica saturnina adfectis in hoc nosocomio ordinatur *prima die*: *Clysm* sic dictum *purgans pictonum*, sequenti modo praescriptum: *Rp*: Foliorum Sennae *unc. β*. coque p. 10 minuta cum aquae communis *unc. xij*. colat. *unc. viij*. adde Natri sulphurici *unc. β* vini emetici *unc. iv*. *Misce*. *Pro potu* quotidiano *aqua cassiae* cum granis ordinatur: *Rp*: Aquae Cassiae simpl. *libr. ij*. Magnesiae sulphuricae *unc. j*. Tartari stibiati *gr. iij*. Syrupi Rhamni cathartici *unc. j*.

Vesperi hora 5-a *clyisma anodynum* contra colicam Saturninam *Rp*: Olei nucum jugland. *unc.* vj. Vini rubri *unc.* xij. Misce.

Hora 8-a ejusdem vesperae sequens porrigitur *bolus*: *Rp*: Electuarii Theriacae *dr.* j—jβ. Opii puri *gr.* β—j.

• *Altera die Emeticum* e Tartari emetici *gr.* vj. et aquae tepidae *unc.* viij. Duabus vicibus sumendum. Emesi finita, aeger sequentem *Tisanam sudorificam* per ceteram diei partem bibendam accipit: *Rp*: Ligni Quajaci, Radicis Chinae, Sarsaparillae, *aa. dr.* j. coque cum aquae communis *libr.* ij colat. *libr.* j. adde Ligni sassafras *unc.* j. rad. Liquiritiae *unc.* β. leniter coctum coletur. Vesperi *clyisma anodynum* et *bolus* repetuntur.

Tertia die ordinatae *Tisanae sudorificae*, priore die adhibitae *libr.* ij. adduntur fol. Sennae *unc.* j. coquendo per 5 minuta et colendo. Hanc *Tisanam* 4 vicibus matutino tempore aeger absunit.

Post prandium vero bibit *Tisanam simpl.* Vesperi hora quarta *clyisma purgans pictonum*; hora sexta *clyisma anodynum*; hora octava *bolus* e Theriaca et opio porrigitur.

Quarta die, *potio purgans pictonum* in usum vocatur parata e: *Rp*: Infus. fol. Sennae *unc.* vj. Natri sulphurici *unc.* β. pulv. rad. Jalappae *dr.* j. Syrupi Rhamni cathartici *unc.* j.

Pro potu accipiat aeger per ceteram diei partem *Tisanam sudorificam simpl.*

Vesperi hora quinta *clyisma anodynum*, hora octava *bolus* cum Theriaca ordinantur.

Per *diem quintam* totam *Tisana* ista *sudorifica laxans* diei tertiae; vesperi hora quarta *clyisma purgans*; hora sexta *clyisma anodynum*; hora octava *bolus* e Theriaca et opio porriguntur.

Therapia *diei sextae* eadem est uti *quartae*.

Morbo vero rarioribus in casibus diutius durante, refugiat medicus ad *laxantia* et *purgantia oleosa*, Oleum Ricini,

Crotonis, etc. his quoque effectu optato destitutis, adhibentur *boli purgantes* pictonum compositi e: *Rp:* Diagrydii, Resin. Jalappae aa. gr. x. Gummi guttae gr. xij. Confectionis Haëneh dr. jß. Syrup. Rhamni cathart. q. s. ut f. boli Nro xij. D. S. Omni bihorio bolus j. sumendus.

Primis tribus curae diebus diaeta sit strenua; die quarta et quinta aegri juscula meliora accipiunt, et sensim symptomatibus evanescentibus etiam nutrimenta firmiora accipiant.

§. 48.

Quamquam *modificationes* hujus methodi pauciores sunt, tamen earum cognitio summi est momenti. Ita *abdomine* sub *attactu dolorifico*, per paucos dies, *balnea tepida*, potus *refrigerantes*, *clysmata*, *fomentationes emollientes* adhibendae sunt antea *therapia specifica* inchoatur.

Dolore sub *attactu majore*, *febrilibus exacerbationibus* simul praesentibus *venaesectio* in brachio est instituenda, vel *abdomini* adponuntur *hirudines*. Si per *aquam cassiae*, et *aquam benedictam vomitus non* producitur, duplex eorum *dosis* est porrigenda; tali ratione quoque *purgantium dosis* est duplicanda, si *consuetae doses* non sufficiunt. *Purgantibus* vero *vomitu ejectis* hora dimidia ante eorum *adhibitionem dosis* *opii gr. j—jj.* in *theriaca* est ordinanda.

Symptomatibus unica vice hac *methodo* adhibita non silentibus *denuo est adhibenda*. Rarius prodest *remediorum doses* imminuere, nam talis *imminutio* saepe saepius *noxia* fuit, et *methodus* haec adhiberi debuit *secunda vice*.

Deliria, *convulsiones* sub morbi *decursu* exortae per *rubefacientia* et *vesicantia* *extremitatibus inferioribus* adplicata *sopiuntur*, absque *mutatione* in *tractamine speciali*. Idem valet de *symptomatibus nervosis*, et *febribus putridis* rarissimis in casibus in *conspectum* venientibus, nam fere *semper* haec *symptomata* sub *methodo* hac *sponte* evanescent.

Sanatio perfecta dici potest, si omnibus doloribus silentibus, et sepositis remediis purgantibus, per quinque aut sex dies alvi obstructio non redit.

§. 49.

Etsi haecce therapia valde composita esse videtur, tamen in multis casibus, secundum observationes multorum celeberrimorum virorum, faustissimis coronata fuit effectibus.

§. 50.

Ab aliis auctoribus diversis, diversa quoque laudantur remedia; ita a Kite Resina flava Acaroidis resiniferae;

A Th. Honey in Jamaica pulvis corticis ligni flavi Tachel dicti, vel Xanthoxylon.

Roberts refert duos casus, in quibus morbus per nitratem argenti sanatus fuit.

Wesener commendat semen sparti; Neumann liquorem Kali acetici. W. W. af. Grubbens virtutem aceti et interne et forma clysmatum ac balneorum adhibiti praedicat, et qua prophylacticum suadet.

Chevalier et Rayer contra colicam metallicam adhibent acidum hydrothionicum, alii sulfuricum; et hoc anno per Dom. Magnificum F. de Bene clinici medici nostrae universitatis Professorem meritissimum doctissimumque pertinacissima colica saturnina acido muriatico feliciter sublata est.

Serres Tincturam nucis vomicae et forma potus et forma clysmatum, etiam cataplasmata hac Tra. madefacta abdomini adponit. Praescribit hanc tincturam a guttis x—xx—xxv—xxx, modo augendo, modo imminuendo dosim, pro vario morbi decursu.

II.

COLICA VEGETABILIS.

§. 51.

Altera colicae species metallica praepriis saturninae simillima est *colica vegetabilis*, quae pluribus locis imprimis in Gallia in provincia Poitou, in Angliae regione Devonshire, in Hispania, in urbe Madrid, et in Hollandia Amstelodami, eadem fere semper forma epidemice grassabatur; a quibus locis varias accepit denominationes, dividiturque:

a) In *Colicam de Poitou* vel *Pictaviensem*, vel *pictonum* vel *pictoniensem*; germ. die Kolik von Poitou, die Eiderkolik;

b) in *colicam de Devonshire*; germ. Devonshire-Kolik, et

c) in *colicam de Madrid*, germ. Madrider-Kolik; sed etiam in humilibus Galliae locis, et in Germania non raro fuit observata.

Quae vero species et respectu originis, et respectu symptomatum atque therapiae fere omnes inter se, et cum *colica saturnina* conveniunt. Producentur nempe usu immaturorum, acerborum, acidorumque fructuum, ac talium austerorum vinorum, (vel ut nonnulli volunt, potius per Lythargyrum his vinis dulcificandi scopo additum, vel per aquam

e cisternis plumbo obductis, ut Amstelodami) excitatur porro per usum immodicum vini acidi pomacei, per usum excessivum succi citri vel caldae citreae, quapropter uno verbo colica orta *vegetabilis* dicitur. Quibus cum circumstantiis subita temperaturae mutatio, et refrigerium in aëre frigido humidoque commissum, ejus evolutioni praecipue favent.

§. 52.

Plerumque incipit cum dolore subitaneo in pluribus abdominis partibus summa cum vehementia saeviente, nonnunquam ad scapulas usque et mammas, per totum pectus ad extremitates superiores et inferiores se extendente, concomitato ab alvi pertinaci obstipatione, abdomine vero nequaquam, ut solet esse in colica saturnina, retracto, imo potius ad tantam magnitudinem extenso, ut rupturam minetur, excepta colica de Madrid, in qua non minus abdomen est retractum. Praeter dolorem nausea, lingua muco virescente obducta, halitus oris foetidus, vomituritiones, vomitus materiae virescentis; inquietudo continua hanc colicam characterisant: quae symptomata debilitas lente increscens, paralysis imperfectae, pedum manuumque, rarissime vero amaurosis sunt secutae.

§. 53.

Remedia, quibus haec colica impugnabatur, fere sunt eadem, quae contra Saturninam adhibita. Ab omnibus medicis *narcotica* et *purgantia* subinde et *emetica* ei opponebantur; praeter haec tali in casu et *absorbentia*, *leniter diaphoretica* et *luxantia oleosa* optime conducunt. *Paralyses* extremitatum inferiorum nonnunquam sponte cessant, subinde per balnea mineralia, sulphurea et alia amovebantur, dum con-

tra e colica saturnina paralysis residuae, his remediis et plurimis aliis pertinaciter resistunt.

Ut vero morbi praecaveatur *recidiva* vel ejus originaria evolutio, abstineant ab usu fructuum et vinorum acidorum, atque refrigerium omne cautissime evitent.



LITTERATURA.

- C**itellus I. Diatribe de novo et populari apud pictones dolore colico bilioso. Parisiis 1639.
- Stoekhausen** Sam. De lithargyri fumo noxio etc. Goslaris. 1656.
- Ramazzini** Opera om. De morbis figulorum. Londini 1717.
- Henkel** J. Fr. Von der Bergsucht und Hüttenfage. Freyburg 1787.
- Purcelles** Abhandlung von allen Gattungen der Kolik. Aus dem Engl. von **Gesner**. 1735.
- Ant. de Haën** Dissertatio de Colica Pictonum. Hagae. 1745.
- Brand** C., de optima morbi saturnini sanandi methodo. Halae 1748.
- Segner et Ilsemann** de colica saturnina metallurgorum. Göttingae. 1752.
- Grashuis** de colica Pictonum tentamen. Amstelodami. 1752.
- Ejusdem** appendix tentaminis de colica Pictonum. 1753.
- Tronchin** de colica Pictonum. 1757.
- Fourage** J. Dissertatio de colica Pictonum. Herbipoli. 1771.
- De Haën** Ant. de colica Pictonum. Tom. II. part. tertia ejus rationis medendi. Vindobonae. 1771.

Schlegel Jen. et Lips. 1771.

C. Stark Observ. de colica Pictonum, maximeque ob arthritidem. Francf. et Lips. 1772.

Fothergills Bemerkungen über die Krankheit, denen Mahler mit Wasserfarben unterworfen sind (in den medicinischen Bemerkungen und Unters. einer Gesellschaft Aerzte in London VI. B.) Altenburg. 1778.

Simmerling Dissertatio de Colica. Göttingae. 1778.

James Hardy a candid examination of wath has been advanced on the colic of Poitou and Devonshire, with Remarks and Experiments intended to ascertainment the true causes of the gout. London 1778.

Brambilla J. Abhandlung von der Bleykolik im 1-ten Bande der Abhandlung der k. k. Joseph. Akademie.

Stoll Max. Ratio medendi Tom. II.

Außerlesene vollständige Abhandlung von der Kolik von Poitou der Herren de Haën, Grashuis, Tronchin und Stark; aus dem Lat. übersetzt von Fr. Schröder. Kopenhagen. 1781.

Armistead D. de colic. Damnonior. Edinburg. 1781.

Kühn K. G. gesammelte Schriften von Tronchin, Stark, Huxham und Grashuis, zur Erkenntniß und Behandlung der Bleykolik, mit Anmerkungen und Nachträgen. Leipzig. 1784.

Bruggen de colica vulgo dicta Pictaviensi pro nova et singulari specie non habenda. Lugd. Bat. 1784.

Huxhami opuscul. de morbo colico Damn. eoque maxime epidemico anno 1724. Op. ed. Reichel. Lipsiae. 1784. Tom. III. p. 45.

Backer G. an Essay concerning the cause of the endemical colic of Devonshire; in den medical Transactions V. I. u. V. III. London. 1785.

- Aasheim D. de colica Pictonum. Hafniae. 1786.
- Prendergast D. de colica Pictonum. Edinburg. 1786.
- Burserius de Kanilfeld J. B. Institutionum medicinae Practicae. Volum. IV. Lipsiae. 1790
- Foensch D. de colic. spasm. Pictonum vulgo dicta. Lugd. B. 1790.
- Fr. Laube D. de colica Saturnina. Fref. a V. 1792.
- C. T. Barchewitz D. praecipuos colicae Pictonum species, earumque medelam expon. Fref. a V. 1793.
- Ludvig Ch. Pot. de colica Saturnina. Lipsiae. 1800.
- Otto Dissertatio de colica. Francof. 1800.
- Redlich L. W. Dissert. de colica Saturnina. Lipsiae. 1800.
- Kletten. Dissert. de colica Saturnina. Vitteberg. 1810.
- Merat Traité de la colique metallique. Parisiis. 1812.
- Schreinzer Diss. de colica in genere. Viennae. 1815.
- Richter A. G. specielle Therapie. 4 B. Wien.
- Jos. Vinz. Lochi Diss. de colica in genere et in specie de colica Pictonum. Viennae. 1819.
- Haase über die Erkenntniß und Kur der Chronischen Krankheiten. Leipzig. 1820.
- Frank J. P. Epitome de curandis hominum morbis. Lib. VII. Viennae. 1821.
- Raimann J. Nep. Handbuch der speciellen medizinischen Pathologie und Therapie. 2te Auflage, 2 Bände. Wien. 1823.
- Huszár Moys. Diss. de colica Saturnina. Pestini. 1824.
- B. Palais Traité pratique sur la colique métallique. Paris. 1825.
- Bochar dt Lud. Die Bleyskrankheit und ihre Heilung. Karlsruhe. 1825.
- De Zotta Mich. de colica Saturnina diss. Viennae. 1826.
- Ede Montmahou Recepttaschénbuch übersetzt von J. C.

Weber über die spezielle Behandlung der Bleikolik etc.
Tübingen. 1828.

Heller Jac. Diss. de colica saturnina. Pestini. 1830.

Jos. Ferd. Sieger. Dissert. de colica saturnina. Viennae.
1831.

Bene Fr. Elementa medicinae practicae. T. V pag. 77. Pes-
tini. 1834.



T H E S E S.

1. **A**egri confidentia in medicum in morbis, praecipue chronicis, sanandis, multum confert.
 2. Chortex Chinae non absolute remedium antifebrile est dicendum.
 3. Febris nervosa a vera debilitate cum nervorum perturbatione derivare potest.
 4. Venenum dirissimum in manu medici experta pharmacum optimum.
 5. Literarum cultura menti prodest, corpori obest.
 6. Chirurgus medicinae ignarus coeco similis, et medicus chirurgia destitutus ut manibus mutilatus est censendus.
 7. Existere vim medicatricem naturae clarissime per Homoeopathiam probatur.
 8. Efficacissimum Homoeopathis remedium est diaeta, qua neglecta haec curandi methodus semper optatis destitueretur effectibus.
 9. Operatio versionis parti operativae artis obstetriciae coronam imposuit
 10. Crises non solum in morbis acutis, sed et in chronicis perspiciendae.
 11. Ophthalmiae specificae non sunt mera symptomata evolutae sublatentis diatheseos.
 12. Amaurosis humoralis cum apoplexia apprime convenit.
-

